Zbiór Baranowskiego.

XVII. wojskowe.


SUPPETIÆ
MILITARES
ex DIVIS Poloniæ Lituaniæq. Gentis
Tutelaribus, nec non Sanctis Militibus
Scriptæ.
&
Illustrissimo Domino Dño
MICHAELI PAC
PALATINO VILNENSI
Supremo M. D. L. Exercituum Duci
Dineimburgensi, Fejdanensi,
Merecensi, &c. Capitaneo
Regiæ Oeconomiæ Mobilouiensis
Administratori
oblatæ
ab ANDREA MŁODZIANOWSKI
Societatis IESU
1671
I celer Herculeas Eques i praeverte Columnas
Priscum Lituani Stemma decusq. soli.
Belliger invictis te Dux praecedit in armis
Et venit Ætherea Miles ad arma Plagæ
PLUS ULTRA tantus Sacro cum Milite Ductor
An non augusto tendere calle iubent?

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

D. MICHAELEM PAC

PALATINVM VILNENSEM, EXERCITVVM M. D. L. SVPREMVM DVCEM &c. &c.

ROmanus ille populus, qui victricia latè per orbem terrarum arma circumtulit: irretorto obtutu solem felicitatis intueri solitus, nunquã in hostem tulit aquilas; nisi priùs rem Diuinam maioribus curâsset cerimonijs: nunquam triumphali frontem coronauit lauro; nisi opima spolia, stipendium veluti commilitonibus dedisset Dijs, ILLVSTRISSIME DOMINE. Hinc illæ vocales ad omnia Deorum puluinaria supplicationes, quibus alto in terris sopiti somno ad auxilium excitabantur Superi: hinc grandia Statoris & Fe-

vetrij nomina, æterna victoriæ sūmo Numinū Præsidi Ioui, in acceptis relatæ monumenta. Sed parùm tunc orbis sapuit, cùm tot plenum erroribus caput Romam habuit: quæ in ipsis coalescentium in vnam Rempublicam populorum primordijs, plures forsan Deos, quàm homines numerabat: & Diuinos ijs tribuebat honores, quos modò faber eduxit ex ære, modò è ligno dedolauit ascia, modò in splendida sculptor sustulit saxa, quasi perenniori vitâ victuros, quia lapideâ. Quanto rectiùs nunc ij, quibus plurale nomen Deorum ridiculum, cultus verò grande censetur piaculum: siue vltricia vindices sumant, siue laureata victores ponunt arma; vnum rerum humanarum, & fortunæ arbitrum Deum, beatos cœlorum indigetes, conceptis placant votis: gloriam nomini immortalem, salutem Ciuibus partam, Numini optimo, Diuisquè Tutelaribus, inscriptis eorum honori attribuunt trophæis. Quid enim Felix atquè beatum humanus sub sole suspexit oculus; quod tam prima rerum bene gestarum initia, quam ipsius felicitatis cœlo non tribueret incrementa? Certè fertilitate frugum diues Ægyptus, etsi nil astris & nubibus se debere gloriata est: non rarò tamen (postquàm vbertatis Parens Nilus suo se lentior extulit alueo) nimio sole calentibus, vsque ad iniuriam sterilitatis incanduit arenis. Ad hæc, si Sisara olim populo Hebræorum summa vi bellum parante, de cœlo aduersùs Sisaram dimicatum fuisse; ipsaque sidera seruatis ordinum vicibus instructam explicuisse aciem, in Eucharistico inquit carmine Debbora: quis ambigat Polonæ Lituanæque Reipublicæ Ciues, quos commune nobiscum nascentes solum excepit, virtus astris intulit; dum cognata veluti ipsi cœlo in armis spectant agmina; rerum nostrarum curâ tangi, Cum præsertim, sacra eorum venerabundi asseruemus Lipsana: quasi non

redditurì

reddituri quod [illegible] [illegible] stiterint quod oramus: nostri nequeunt non meminisse, nisi sui prius velint obliuisci. **Iam verò &** *illa Christianæ militiæ fulmina, purpurati cruento de prælio victores, quid ni in societatem veniant armorum? cum rem non tam pro focis, quam pro aris, non fabulosâ Bellonâ duce, sed pietate meliorum sacrorum antistitâ, auspice, geri intuentur.* **Quæ cùm** *ita sint, auxiliares quas non voce, sed calamo, dum scripsi, cœlo euocaui copias, Tuo* ILLVSTRISSIME DOMINE *sisto conspectui: cuius humeris grandem publicæ salutis molem incumbere: & veriùs, quàm ter geminis olim fratribus, tot populorum fata cõmissa videmus. Vt, si peregrinus Mars, bellum tanquam procella quædam ad Patrios detonuerit fines; vbi ad hos ventum fuerit te Duce triarios: rebus ad sensum pacis compositis, omnem resedisse tempestatem; Te saluo, Tuo munere salui & incolumes, lætemur vniuersi. Sed priusquàm hoc, quod Tua iam dudum in numerato habet pietas, producam agmen: permitte me nonnihil in rectefactorum Tuorum recordatione versari: & magnæ virtuti debitum vectigal, cultum, ac venerátionem reddere. Vt quod olim Pyrrhum Epirotici generis Regem, Romanæ ad Tarentum virtutis spectatorem dixisse ferunt, quàm facilè erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis Militibus, aut me Rege Romanis: idem qui has pauculas Diuorum comprimis, deinde Tuo honori sacras legerint paginas, dicant: ô quàm facilè erat Tibi tam grandia gerere, tantis è cœlo militibus, & quàm pulchrum Te duce, cœlitibus.*

TE fulmen in bello,
sidus salutare in pace,

Bellicosus

 Terro-

terrorem hostium, ... armis,
amorem Ciuium,
quos beneuolentiâ vincis, & meritis,
vna omnium vox euulgat orbi.
Reptauerit per scuta puer Theodosius,
& pedum officium manibus aggressus,
quadripes ad arma properârit:
Tu, bellè bella appeti, cum geri possunt, ratus;
primum ætatis robur Martio sacrâsti pulueri.
Vbi mox
belli fortunam in obsequia Tua mancipâsti,
vt desierit esse rerum Domina humanarum;
cùm non esset Tuarum.
Solstitium bellicæ felicitatis,
non nisi in paucis inueniri solitum,
per continuam deduxisti lineam,
discretum situm terrarum
non interrupto ordine nectente victoriarum.
Imò grandia illa cladium nomina,
Cannas Apuliæ, in Samogitiam, & Lituaniam,
Thrasimenum Hetruriæ, transtulisti in Russiam.
Concussa bellorum tempestate Polonia,
cum non pauciores quàm infernus numeraret furias:
imminens omni ex parte malum,

ne

...onerer bonum:
foris fortiter impugnato,
domi feliciter prostrato,
hoste fecisti.
Nonne sub Tuis trophæis Liuo intremuit?
ad Parnauiam ductor hostium neosponsus,
incolumitati sponsæ,
mortes Tuorum litare decreuerat:
sed intempestiuos amores hostili vnà cum odio
suo mersit in sanguine.
Annulo, pactarum nuptiarum arrha, proiecto,
infelix poligamus
Bellonâ pronubâ, Adrastiæ ministris, omnibus ductus
Clarissimum posteris documentum, (est à Furijs.
facilius in cœli, quam terræ militia,
Martem benè conuenire cum Venere.
Ibi directos ad pectus Tuum ictus
in hostile conuertisti tergum:
nec difficilè per calcata fugientium corpora,
vrbis præsidium inscendisses:
si Suecus Vulcanus, Lituano in porta Marti obiectus,
æquè non terruisset equos:
vt non terruit viros.
In Tuæ gloriæ censum venit;

quod

quod toties ...

ex appetita auidè Samogitia & Curlandia,
non piùs occupauit:
quàm quod truncis legionum artubus texit.
Aquis interdum merſus,
magnitudine cladis terras exceſſit.
In ipſa fortunæ ſuæ meridie,
Siculas in Samogitia expertus veſperas:
probauit,
vt ſudo ſupra modum cœlo,
ita nimiæ felicitati, diutinam vitam non eſſe.
Obuius cum hoſtili agmine ISKEL,
ſiniſtrum dedit omen ſuis,
cùm Tuo ictus gladio, amiſit dextram:
arma non reſumenda cum ipſa depoſuit manu.
Columbam nomine, (BANVS:
Harpyiam moribus intulerat Samogitiæ COLVM-
ſed vt citiùs auolaret, quàm aduolauerat:
Tui Tuorumquè timor pedibus addidit alas.
ASTVERTI non diſpar in infortunio fortuna fuit.
Mille ducentorum Suecorum Dux,
cæſos alios, palantes nonnullos,
hos morte, illos metu vidit exanimes.
Sic DVGLAS,

Vnus

vnus toties in pluribus suis victus:
nil gloriosius reportauit ex Samogitia,
quàm quòd vinceretur à *Te*.
Quàm audax cum inuaderet,
tam celer cum fugeret,
relictâ post tergum totâ generis humani securitate,
infido vndarum se credidit elemento;
& quasi plus fideret salo, quàm solo
maritimum hospitium petîjt, Rigam.
Nec solius Punico bello Metelli gloria fuit,
elephantorum grex prælio captus:
Tu quoquè,
cum *Vandalicis* leonibus, lusisti velut cum agnis:
eorum captiuitati, pretium *Tuâ* fecisti clementiâ:
vt se non cruento prælio victos,
sed innoxiâ venatione occupatos crederent.
Multis ægræ vulneribus, vt succurreres Lituaniæ
à capite rem exorsus,
principe eius vrbe hostem exactum,
solius castri angustijs conclusisti.
Terrore tũ nominis *Tui* pro integritate vrbis excuban-
timuit hostem Ciuium nemo, (te,
hostis omnes.
Ad finitimas deinde hostico partes deductus,
Ibi

ibi felix Argus excubasti;
vbi publicis inuigilabatur damnis.
Terminalis, non Calpes & Abilæ,
sed Moschouiæ & Sueciæ columna:
quàm vt Herculeum non plus vltra, audax reuerita
In barbata illa ex aduerso agmina, [est temeritas.
Tui belli flamma grassante:
vbi mentem cum mento confudisti;
feliciùs, quàm Annibal, obiecto ad ludibrium ocu-
exitiali implêsti pauore omnia. (lorum igne,
Marmora alij, & æra, acuto vulnerent cœlo:
vt magna magnorum nomina, toti clament orbi:
CZERKASII, CHOVANSCII, DOŁHORVKII,
suis obscuri cladibus, Tuis de se illustres victorijs titu-
ære & marmore perenniora [li,
in seris nepotibus Tuæ famæ stabunt monumenta.
PVLIVCHTOV,
libertatem Vilnensi castro, captiuitatem vrbi parabat:
at vix eò peruenit votis,
quò volebat pedibus.
Ad Dinemburgum fusus,
alieni sanguinis sitim, extinxit suo,
Securitas Vrbium Russiæ,
Tuis periculis,

tranquilla

tranquilla Ciuium otia,
Tuis stetêre laboribus.
Vires hostium, *Viris*,
numerum, virtute superâsti:
vt illi suâ mole ruerent.
Tu, cũ *Tua* paucitate supra illorũ assurgeres fortunam.
Quoties pauca *Tuorum* signa, plurimis obiecisti?
virtute Ducis, militum absentium partes implente,
effecisti vnus,
vt ex absentibus deesset nullus.
Ita, non sola ter geminat Geryonas Hispania,
ter animat Herilos Hetruria,
Lituania quoquè per suum *Herculem*,
postquàm informia domuit monstra:
ad prodigium virtutis, ad admirationem posteritatis,
in *Te* vno fæcunda fuit.
Destitimus tum mirari,
Scæuolas, Coclites, Curtios *Romanæ* portenta virtutis;
cùm, ad *Mohilouiam*,
vnus totam è faucibus fati eriperes Patriam.
Manu, & capite potens Bellator,
tam fortiter vibrâsti gladium:
quàm feliciter prompsisti consilium.
Vitrea *Szklouiæ* fortuna,

Tuis præſidijs euaſit adamantina:
cùm hoſtis ab vrbe recederet,
tot fulminalib9 tonitruis, vnius aniculæ facto damno:
quaſi pro hac Græcus Helena pugnâſſet.
Taceo rebelliũ Ruſſorũ turmas, carnifices hoſpitalis
has, ne in nouam capitũ repullularent meſsẽ, (vteri vi-
ferro domuiſti & igni. (peras;
Seruiant cæteri temporibus:
Tibi bella gerenti, ipſa ſeruiunt tempora.
Cùm pleno flumina voluuntur alueo:
infeſta Patriæ agmina Neptuno das victimam:
cùm glaciali ſtant ponte fixa:
Tuas in hoſticum ducis copias:
ſic idem bis in hoſtem armas elementum.
Et quid ni non tam ex ſtipendijs, quàm ex victorijs
armorum Tnorum tempus recenſeas?
qui firmiſſima ipſius cœli mereris præſidia.
Acturus humana,
rei primùm interes Diuinæ.
Vbi viceris,
Diuino Te victorem, & victum munere recognoſcis:
cùm quaſi tantæ impar beneficentiæ, ſuccumberes;
humili ante ſacras aras, Te humi fundis corpore.
Qui tumida in altum erectus ceruice ſtat;
videat

...videat ne cadat:
Te ita cadere solitum,
(etsi fractus illabatur orbis)
impauidum ferient ruinæ.
Non minùs tractare ferrum gnarus quàm homines,
Tuos sic instituis bellatores,
vt qui omnia possunt in hostes,
illis nil liceat in Ciues:
in paucos aduertis nocentes;
vt omnes serues innoxios.
Clementiã tamen austeritatem temperas,
æquè mitis, ac metuendus.
Da veniam audaci dicto *Vir* fortissime:
timidus es,
cùm hoc vnum, ne timeare, times.
Iniqua hostium odia,
æquis Ciuium vt instaures amoribus:
tam beneficus in diuites,
quàm largus in inopes,
illorum opibus tuendis, robur & vires,
horum leuandæ inopiæ,
Tuas impendis opes:
non ignarus,
nunquam illis defuturum aurum,

qui sciunt vibrare ferrum:
&,
optimum fænoris genus esse, Deo fænerari:
dare quod acceperis,
vt luculentiùs recipias quod dederis.
Quid ni igitur,
fulminatrix sit in bellis,
æmula Dei manus in donis?
Inter probra Tiberij recenset posteritas,
quòd fugiens gladium, in angulo inuenerit sceptrum:
Te, Tua virtus,
per templum laboris,
ad templum bellici deduxit honoris.
Illustre Lituaniæ sidus,
Herculeorum laborum Zodiacum decurristi,
antequam in auge consisteres.
Sed iam sub rerum à *Te* gestarũ mole fatiscit calamus,
cùm faciliùs Tibi sit scribenda gerere,
quàm mihi gesta scribere.

MActe animo, in hæreditatem auitæ maiorum gloriæ natum pectus, Illustrissime Domine, Vir Fortissime, Bellonæ nube, vt pacem parias; simili namquè puerperio pax cœlo ac terris nascitur. Iris inter pugnantia nubila, è pugna, serenitatem, cœli pacem parit. Viue diu, & diuturna felicitate amores populo-
rum

rum extende: perge auspicatò, quò Te publici boni amor, Tuus in stadio virtutis ad metam rapit Bellerophon. Et qui egregiè fatorum acerbitate, illatam vindicas iniuriam; dum Viros belli pacisquè artibus insignes, communi moriendi necessitate, Polono, Lituanoquè ereptos orbi; post ipsos in Te vno reddis cineres: eorundem perennaturæ in æuum virtuti, debitos imple dies. Viue, etiam tum victurus, vbi cæteris postquàm vixerint, viuere nefas. Me quidem, leuis aura subuertere in obliuionem potest, nec calamo satis contra vices rerum munitum: Te verò grandibus in Patriam meritis, ingentibus factis, gloriæquè celebritate subnixum, viuum veluti, ac spirantem, seri semper reuerebuntur nepotes.

Crosis in Chodkieuiciano Societatis IESV Collegio. Anno Domini 1671.

ILLVSTRISSIMI DOMINI HONORI ET OBSEQVIIS

Deuotissimus,

Andreas Młodźianowski,
Societatis IESV.

S. CASIMI-

S. CASIMIRVS

PRINCEPS POL: PATR: POL: ET M. D. LITV:



Augustæ Natum Casimirus Virginis. inter
Lilia, Porthenij sceptra pudoris habet.
A ligno regnare Deum, ne dicite tantùm:
Rex & ab hoc dici, cur modò flore nequit?

ELO-

ELOGIVM

O Di rediuiuum & Vrbis & Orbis busto Phœnicē,
Africanum, & Numantinum.
Exiguum nomen est, quod Vrbium creuit ruinis:
minimè bonum, quod alienis venit à malis.
Prome calame, magnum Principem Casimirum:
& in vno dissyllabo,
omnium syllabum conclude titulorum.
Magnus maioribus,
quem nascentem, Regum & Cæsarum sanguine,
dibapha excepit purpura.
Ipsos maiores, vt faceret minores:
Serenissimum Regum, in Patre,
Augustissimum Cæsarum, in Matre nomen,
SANCTVM, fecit:
Serenissimus in syderum Regia Princeps.
Austriacâ Elisabethâ genitus:
verus *Præcursor*,
ætatem anteuertit virtute.
Canis in prætexta moribus,
nullam, præter eam, quam taciturna dabat modestia,
nouerat infantiam.

Dum

Dum terras ...
ne cœli decus serenitatem, otiosam portaret in titulo:
niueo morum candore,
purpureo verecundiæ decore,
orientem, & occidentem cœli vicit purpuratum.
In sinu Polonæ libertatis natus,
solius magnæ Dei Matris vt seruiret honori:
omnes vitæ dies, laudum eius vectigales fecit.
Cùm nil malè, omnia bene ageret:
odio habuit lucem,
quasi pro comperto haberet:
Inocētiæ, plùs offerri periculi, quā honoris in publico.
Regium esse, benefacere cùm possis, arbitratus:
ad prodigium beneficus,
prodigâ manu, opificem illam auri virgam vicit:
cùm quidquid tangebat, vt erogaret?
non aurum tantùm,
sed panis quoquè, & vestimentum erat.
Cætera basilicè liberalis,
somni solius parcus,
qui omnem animo excluserat mortem:
eius in corpore oderat imaginem.
Syderum exemplo eruditus,
vt illa, in stellato,

ita

ita ille, in Polono Cœlo,
Cœli militiam exercuit vigilando.
Dignissimus Regis dolorum thesaurarius,
sacram diuitis eius patientiæ supellectilem,
cordi inclusam circumtulit.
Quærere cor Casimiri si voluisses, in hoc thesauro,
& hunc thesaurum, in corde reperisses.
Inuictus intemeratæ Virginitatis assertor,
eius integritatem lacero sæpè redemit corpore.
Mori demum maluit, ne fædaretur:
quàm fædari, ne moreretur.
Infamem multorum exitio Deam, nobilis Parthus, fu-
dum è corpore & vita fugit, (giendo vicit:
ipsis ineuntis Martij diebus.
Orbis certè gaudia confudit:
cùm natalē mundi mensē, tristē tanti funeris luctu, fe-
Ampliùs rerum suarū curam habiturus nullam: (cit.
nostrarum se habere probauit vnam:
cùm paucos Lituanos ad Polociam, in numerosum du-
Vt geminaret celeritate beneficium (xit hostem.
an non & grande hostibus fatum?
eques venit:
talis in àëre à milite visus Lituano.
Eiusmodi celeres, si semper Lituane habuisses:
C orbem

orbem victoriis peragrantes.

Nunquam suis defuturus, Clementissimus, Princeps,
obsidem fidei se ipsum reliquit.
Animam cœlo,
corpus Lituaniæ dedit:
Vilnæ, moriendo natus.
Nam, non tam vbi quis incipit viuere,
quàm vbi desinit;
non cùm sumit,
sed cùm ponit animam:
natus est.

S. VII.

S. VILHELMVS

MILES; & DVX AQVITANIÆ.



Nuper Aquitanas qui duxit in arma cohortes:
Pallida belligeri conspicis ora Ducis
Hostili rubuit quondam qui sanguine, pœnas
Fit de se sumens, pallidus à proprio.

ELOGIVM
ECHO TRIVMPHALIS.

Ela de surdis Aquitaniæ vallibus,
da publicæ famæ auditum,
Echo mortua viuæ vocis imago. *ago*
Age disertæ linguæ Laconica Mima,
memorandum Vilhelmi nomen,
posthumæ Heroum gloriæ tinea,
non lædat obliuio. *io*
Io quantus assurgit, dum cadit, mellifluo detonante
de mellis Patria, prodeunt fulmina: [ore?
quibus Bernardus Vilhelmum,
tangit & frangit:
grandi non sinè motu,
de sententia, simul & de vita vetere dimouet. *ouet*
Et quid ni ouet?
inermis in toga, se ipso armato in sago fortior,
nouus homo,
incepit esse quod non erat:
desiit, quod fuerat.
Squalore pœnitentiæ, nomen illustrauit. *strauit,*
Strauit profectò, similē moribus, similem & amoribus
Samsot

Sam[illegible]onem, carnem.
Huius incendiarias bonæ frugis vulpeculas, cupidita-
extinxit siti, enecuit fame: (tes,
blandos hostes, cruento aggressus Marte. *arte*
Sic est, arte maximâ, vnâ inter omnes,
Diuinos amores à sui exacuit odio.
Innocuos in vestium lanis premunt agnos cæteri:
& caloris fomenta, frigido armorum dum torquent
retribuunt mala pro bonis. (ferro;
Vilhelmus, ferro feros vt domaret mores:
nudum loricâ corpus conclusit. *lusit,*
Rectè respondes,
serò licet, serium tamen lusit lusum:
dum vario in plectendo corpore plectro,
omnes artuum tetigit neruos:
pulchram antistrophen, modulante virtute. *tutè*
Vix sanè tutiùs, aut tutior quisquam,
siluarum deserta petiit:
vt, quidquid inhumanum induerat inter homines:
exueret inter feras.
Humili sub mapali fixus corpore,
humana omnia supergessus mente,
aduersa cuncta, & aspera,
vt fulgurantis & tonantis fortunæ meteora,
despexit

despexit infrà se [illegible]

somnia

Ita planè, futuris inuigilanti bonis,
omnis præsens somnium est felicitas.
Inter somnia, posuit omnia:
quæcunque suæ indormientibus saluti,
in vana periturorũ imagine, fingit Morpheus.

Orpheus

Ohe, de Morpheo, facit Orpheum?
pòëtico sonorus in ore choragus,
mancas vt in laudem Vilhelmi voces integret;
das monita?

ita,

Apage; odi tortarum in citharæ equuleo ouium ge-
odi innoxiorum ĩter tormẽta viscerum cantus. (mitus:
Tu potiùs, age fama,
centum in vnius laudes ora resolue.
Ducem inter homines mitratum, Regẽ apud superos
tubâ clange, voce pange. (coronatum
Nihil paruũ, in magno, nihil humile, offert se in subli-
Nam totũ, quod in partẽ laudis magnorũ venit; (mi.
nequaquam est exile.

Sile.

S. STA-

S. STANISLAVS

EPISCOPVS CRACOVIENSIS M. PAT: POL: ET M. D. LITVANIÆ.



Excelsam pulchra vultûs in imagine mentem,
Præsuleâ dignas aspice fronte genas.
Heu fluit innocuus secto sed vertice sanguis:
Nulla magis recreat, nulla tabella minùs.

ELOGI-

ELOGIVM

Hic diu magnum quid ipsâ moliente naturâ,
vergentibus ad ſenium Parentum annis,
in lucem editus eſt.
Citò peritura, præcox maturet partus:
æternùm victurum, non niſi ſerò decuit naſci.
Non elephantorum modò, ſed & hominum genus,
diutina commendant puerperia.
Puer, puerile egit nihil, præter annos.
Quod alij tempus luſibus,
hoc ille, ludo impendit literario.
Ingens diſcendi ſtudium, vltrà patrios fines
Pariſios protulit:
vnde, pietatem & doctrinam, maxima regnorum Nu-
maiore quàm Vliſſes gloriâ, [mina,
Palladium ex Vrbe Troia, vexit.
Cùm integritate mẽtis, aſcendiſſet vſquè ad Angelos;
demiſſione, deſcendebat infrà homines.
Vehemens in cauſa Dei Orator,
nil loquebatur in ſua.
Tullij diſcipulum diceres,
ſi pro Deo agentem audires:

Pitha-

Pythagoræ,
ſi pro eodem patientem ſpectares.
Sic fulgere virtutibus, ſic fulgurare ſolitus in vitia:
vt Africanum, Europæ daret Fulgentium.
Cœlorum potiùs, quàm terrarum incola,
Archimedis dicto abſtulit inuidiam:
nam pede extra terras poſito, terram mouit:
cùm, cœlo fixus totus,
terram ſimul ac terrena omnia,
infrà Deum locauit.
Adultam demùm illuſtribus pannis induit virtutem:
dum Antiſtes Cracouienſis,
Sacrum magni honoris induit paludamentum.
Bellum vitijs in ipſo Regni capite Boleſlao,
Euangelico NON LICET, vbi detonuit:
Fatali nocētium aduersùs innocentes telo, calumniâ
ſuſcitato à mortuis Petro; [impetitus,
viuum confudit Regem.
Suſpexit in te quoquè Iſaiam Sarmatia,
ô Staniſlae:
nam & tu INVOCASTI DOMINVM:
vt vmbram hanc, reduceres retrorſum:
& ex ipſa mortalitatis nocte,
qui diem reo Regi diceret,

produc...

Tu verò habe gratiam errori tuo Anaxagora,
nescio in cuius putei fundo naufragæ parentâsti veritati:
en,
VERITAS DE TERRA ORTA EST.
Sed grandibus Regum iræ placantur victimis:
Sacram Deo immolantem hostiam,
suo Rex immolat furori.
Concisum impiè, sparsum in diuersa patuit corpus:
iacere vno in loco tanta non potuit ruina:
sub aquilarum custodia tutum,
exul terris humanitas, aerem occupauit:
cùm humanior Rex auium,
quàm hominum apparuit.
Diuinâ terris datus,
Regiâ terris ereptus STANISLAVS manu,
posteris documento futurus:
magnis magnorum initijs,
non dispares esse exitus.
Quemadmodum, & grandiũ fluminum incunabula,
celsissimi montes,
tumulus, Oceanus est.

S. IGNA-

S. IGNATIVS,

MILES HISPANVS, DEINDE NOVÆ DVX MILITIÆ.



Sentit vt explosum Loiolæ tibia saxum,
Cernitur in patula corpore stratus humo.
Pulchra tamen soliti non linquit prælia Martis :
In noua nàmque iterum surgat vt arma, cadit.

ELOGIVM

PANOPLIA

Malè tibi ſit claudum Numen Vulcane:
tui plagis mallei erudita ad noſtros vſus arma,
ſuos in nobis vindicant ictus.
Tuo toſta foco tela,
humanum ſitiunt ſanguinem.
Hinc rectè Ignatius, tua cruente opifex arma,
vltrà ipſas relegauit terras:
cùm in monte appendit Serrato.
Feliciùs quàm *Pœnus* ille aris admotus à Patre,
ſuas admiſſus ad aras, à Virgine Matre:
non Romano nomini,
ſed antiquo hoſtilitatem iurauit homini.
Nazareæ mentis robur,
nulli credendum cupiditatum Daliſæ,
clipeum certè Agamemnonis, leone induit horribilē.
Intremuit animale affectionum vulgus,
in vario noxarum expiatarum capite præciſum,
ne in noua repullularet germina:
non otioſus in nomine Ignatij,
laborauit ignis:

Diuino

... agitatus flamine.
Eluserit oraculi sortem Macedo,
cùm præsagum grandium fatorum Phrygiæ lorum,
soluit cum vulnere:
Ignatius, anxiæ mentis nodum celantem nexus,
vt solueret:
Macedonicum ensem, acerbitatem vibrauit inediæ.
Tum, magnæ illæ in exigui ponderis nomine,
animarum Eumenides, scrupuli,
in salutem alieni capitis, suo truncatæ sunt in capite,
iudicio proprio:
cùm Ignatius credidit alieno,
Sed, incassùm tela iacit in alium, eminùs;
qui se ipsum non ferit cominùs.
Non tam sæpè quisquam ab alio,
quàm læditur à se ipso;
quàm bellè, secum gesserit bella Ignatius,
suo ipse pinxit cruore;
nec ante destitit;
donec nobili sanguine pota flagellorum sitis,
diceret satis.
Bella Domini præliaturo lucis Filio,
Princeps occurrit tenebrarum:
hunc scipione pulsum,
non ferro domuit, sed ligno.

Tacete

Tacete Plutoni metuen[...],
non obscuris Poëtarum commentis, sat lucidũ telum
Ignatij toties ictum se telo sensit Pluto: (fabulæ;
quoties raptam indoluit prædam;
quoties thaumaturgâ virtute,
non è Superis ad plana, montes,
sed ad superos, ab inferis transtulit mentes.
Nouæ Dux militiæ,
antiquæ mundi debellator malitiæ,
vni sibi Atlanti tot suffecit Alcidas:
quorum humeris, ipsa mundi mole grauius pondus,
salutem imposuit animarum.
Time & nunc inferne Madian, vocales Ignatij tubas
en quibus vocem suæ dedit virtutis: [& lampades:
vitæ sanctioris, ardere vult exemplis:
Ne rubiginem situmquè tradita sentirent tela:
in ipso militaris otij nomine, missione,
grande locauit negotium.
Cælesti ipse sublimis in Capitolio,
dispersit cum sole manus:
cùm suis pugnantiũ armis palmas numerat & Lauros:
quas nascentis, & morientis solis illustrat purpura.
Ingentes animos, vna non implet victoria:
Loco dum vincunt in vno, pugnant, vt vincant
in

in alio;
Et quasi parùm esset, vincere homines:
ipsos in triumphum gentium ducunt Deos.
Nullum tanti Ducis apud commilitones
segne est telum:
minimè desides Themistocles,
sui Miltiadis trophæa, non sinunt dormire.
Hæret quippe seris nepotib9, auita gloria pro stimulo:
& pallidus magnorũ bellatorũ cinis, efficaciùs homi-
quàm color vuæ, humanũ imitantis sanguinẽ, [nes,
ad prælia prouocat Elephantos.

S. HYA-

S. HYACINTHVS
S. ORDINIS PRÆDICATORVM.
PATR: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Ille ego quem facili portauit Vistula tergo,
Substernens famulas marmoris instar aquas:
Pondus opum petit ima, fuit mihi pauperi in orbe,
Cuncta solo leuitas, nulla salo grauitas.

ELO-

ELOGIVM

Antiqua magnæ stirpis decora, vt sua faceret:
pro alienis habuit:
nouis, propriâ virtute parandis intentus.
Nemo quippe in nostram vixit gloriam:
& humanæ libri genesis,
Authorem magni nominis,
non hæredem, felicem, & magnum probant.
Clarus nascendi sorte Hyacinthus,
carus viuendi ratione hyacinthus,
pretium, à iudicio magni accepit Dominici.
Qui cùm omne, quod carũ, in amethistis, & topasijs,
rarum, in Chrysolitis & berillis orbis habet:
sublimi calcâsset pede:
hunc æstimauit hyacinthum.
Præfulgens vertice Dominici sidus, in Poli,
hyacinthum, in magnetis naturam abîjsse diceres.
Vt hic, ab illo, ad Romanum vsquè solum,
è Polono traheretur Polo.
Auxit pretium metamorphosis:
vnde venerat, missus,
verius quàm magnæ Matris ossa, retrò iacta:

E homo

homo apparuit Hyacinthus.
Diuinis intentus, in humanitatis officia effusus,
cum illis tantùm fœdera amicitiæ nō sanciebat huma-
qui iura violássent Diuinæ. (næ:
Veræ cynosura salutis,
vt errātes in circuitu impios, ad cētrū reduceret be-
verbo luxit, præluxit & exemplo. [atitatis:
Quantum posset in animis:
ostendit in inanimis.
Quando aquas pedibus ceu terras inuasit,
Religioso pauperum ex priuilegio,
nihil habendo, omnia possessurus:
pedū positione, possessionē etiā ipsarum adijt aquarū.
Nouus Typhis,
stratum super vndas pallium, socijs nauigium dedit.
Aureas incassùm pedicas Xerxes iniecit Helesponto:
apodes, nesciunt compedes vndæ.
Mollibꝰ feliciùs Hyacīthꝰ ad obsequiū aquas demulsit
Discite mortales, quātū bonorū prosit cōsortia: [latis:
en ab abstemio Hyacintho, ipsæ in aquis sitire didice-
Vna vocalior fide, supra Orphei omnes, (rūt lanæ.
plures ad vitam reuocauit manes,
Filios non relicturus,
sanctimoniæ reliquit hæredes.

Spectat

Spectat Po[illegible]cipe regni vrbe Cracouia,
æmulos grandium factorum Macedones,
ad sui Achillis tumulum, pias effundere lachrymas:
dum sacrum illud,
gementes & flentes in hac lachrymarũ valle cõcinũt.
cùm nil dolendum egisset viuens, vnum fecit moriẽs:
quando desideratam in terris, cœlis intulit præsentiã.
Hæc nimirum Diuorum conditio est,
vt quos serò cœlo datos gauisi sumus:
maturè terræ ereptos lugeamus.

S. THEODORVS,

DVX ROMANI EXERCITVS.



Romulidûm salue Ductor Theodore, Deorum
Strauisti forti qui simulachra manu.
Omnia Titanum sunt prælia ficta, fuerunt
Diues egestatis te Duce præda Dij.

FLO-

ELOGIVM.

TRIVMPHVS.

NOn euanida inanis gloriæ exhibeo phænomena:
non victores equos,
victos equites,
non bellum tergo portare solitas belluas,
aut missos sub iugum monstro homines.
Suâmet famâ infames triumphi sunt:
quos appēdix magnæ fortunæ, in fastis dedecorat fastus.
Incedat nobili sublimis in triumpho,
quē supra repētiū humi periculorū fata, virtus extulit:
Romulidûm Dux Theodorus.
Deletæ quondam,
pictæ viuant in imagine gentes.
Pigmæum robur giganteæ substernat virtuti.
Exitiale monstrum Draco,
pendulum scabra de cute ferat caput:
hunc post tot clades inultum,
vindictæ adultum,
victore messuit gladio:
In cruento hiatu, infami viuentium sepulchro,
suæ incunabula locauit gloriæ.

Diues

Dines paupe[illegible]
pedes ac manus Deorum ferat argenteos.
Hæ Theodori manubiæ sunt:
debellator simulachrorum,
hominum vulnera
inflixit Dijs.
Nerui, fusum in globos plumbum, cādētes ab igne la-
cruenta lentæ mortis supellex, (minæ,
sublimi præcedat in ferculo.
His armis,
in inerme Theodori corpus,
bellum detonuit crudelitas.
Omnes in cruciando,
nam non hominū tantùm, sed & boum ītēdit neruos.
Frigidas inflammauit laminas:
vt ipsum igne torquēdo, ad torturā cogeret tormen-
Solo ereptum, in crucem sustulit corpus: (tum.
donec terreno pondere, cum crucis certante obice:
mors prælium dirimeret.
At,
instrumenta supplicij in gloriam abiêre triumph[illegible]
quibus cœdi, non cedere potuit Martyr.
Flagrante persecutionis flammâ,
ad nouam virium iuuentam, recoctus Æson,
so[illegible]ita,

ſoſp[illegible]torem per Angelum,
morti ereptus, vitæ redditus.
Claudat continuam agminis ſeriem,
numerus hominum innumerus.
His, non obſtante impotente Licinij dominatione,
exemplo imperauit:
per calcata inanium Deorum capita,
ad vnius Dei procumbere pedes.
Pompam triumphi, excipiat arcus,
ſic inſcripto conſpicuus faſtigio:
THEODORO IMPERATORI,
Alieno, in bello, ſuo in pace ſanguine purpurato.
Quòd hominibus infenſos debellauerit homines,
Deo aduerſos fuderit Deos:
Quòd immanem belluam ſtrauerit audaciâ:
Furentem Tyrannidem vicit tolerantiâ, ſemper forti,
Sen: Pop: Rom: ſpio ac ſtrenuo,
Hanc honoris aperuit portam.

S. ALBER-

S. ALBERTVS

EPISCOPVS & M. PAT: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Impoſito libræ Præſul cum venſit auro:
Lanx oſtendit onus Lipſana ſacra leue.
Albertus cœlum, terras repetebat at aurum:
Quæſiuit centrum pondus vtrumquè ſuum.

ELOGIVM

VT cõmuni multorum cõmodo in lucem editus vi-
natus, Boemiam incunabulis, (deretur:
mortuus, Poloniam ſepulchro,
Pragam, loquens in publico,
Romam, ſilens illuſtrauit in occulto.
Vix vitæ limen ingreſſus,
cùm morte conflixit:
fecit victurus, quod alij ſolent morituri.
vnxit Athletã oleo nominis ſui viuentiũ Mater Maria:
cuius ope,
cæterùm minimè parcere ſolitas, ad rem nominis ſui
adegit Parcas.
Ignauum hominem, inſepultam viui hominis ſepul-
cſſe, cùm nôſſet: (turam,
tot annis ignorãtiã, hoſtẽ generis opugnauit humani,
quot pro Troia hoſtes nominis excubuêre Troiani.
Cùm rectefactorum cumulum, ad ſummos honorum
extuliſſet: (apices
Archiepiſcopus Pragenſis,
magnis Boemorum electus amoribus,
ſed malis eiectus à moribus,

F Romam,

Romam, cœlum religio[illegible] abijt in cella.
Reducem cùm sui no[illegible] recepissent,
patrio regno exul Czechi,
fraterno exceptus est Lechi.
Natale solum nequaquam mutâsse dici potuit,
qui Patriam foris inuenit:
hospes in ædibus, domesticus in animis:
illas, corpore, exiturus intrabat:
hos, comitate morum, perennaturus occupabat.
Magnis prosequentibus votis,
bonorum reluctantibus desiderijs,
ad infidum tunc, contagione quadam,
ab infidi elemēti regno mari, Prussiæ populū cōtēdit,
Vbi dum quærit quos Deo lucraretur homines:
incidisse eum credes in pisces:
postquā Fischhaus piscium domum intrauit hospes.
Remis infidæ plebis ad portum æternitatis impulsus,
è vita simul abîjt, ac è Prussia.
Auro redimendus à Polonis,
vt Prutenorum castigaret auaritiam,
Polonæ parceret libertati:
appensus in statera inuentus est minus habens.
Errâstis ô Pruteni, nescientes scripturas:
corpus, aggrauat animam:
pondus

pondus ig[...]nimi, non auri corpus est.
Eius brachium Otto Imperator Romanæ intulit Vrbi:
benè de toto orbe meritus,
cuius capiti tuendo, tãtæ manus admonit præsidium!
Sed cesserit Cæsareæ pietati Alberti dextera,
sat præsidij in hoc Scæuola nobis est,
contra omnem Poloni nominis Personam.
Tardi, & parci Boemorum post fata amores,
cui Pragæ superstiti negauerunt locum:
nunc vitâ functo dare cupiunt loculum.
Qui viuenti nihil tribuendum censuerunt:
mortuo, ne id integrum relinquunt:
quod ipsi sinè ipso auferre nequeunt.
Ita,
qui animo terras excessit:
corpore duo occupauit regna,
iure & hic Albertus MAGNVS appellandus.
Nimirum, vt altas moles ruina,
ita magnorum Heroum magnitudinem, ipse illustrat
in occasu casus.

S. EVSTACHIVS

SEV PLACIDVS, DVX TRAIANI IMPERATORIS M.



Æreus ignito Placidum bos carcere Patrem,
Et natos clausit cum Genitrice duos.
Erras, exanimem si vis hunc dicere Taurum:
Quatuor habens animas, non fuit exanimis.

ELO-

ELOGIVM

GIGANTOMACHIA

POeticæ fidei articulus esto,
optimæ Matris Telluris,
pessima proles Gigantes.
Piaculares infamis audaciæ victimæ,
non tam legendi, quàm lugendi,
mythologas fabuloso nomine maculant paginas.
Vbi ille, quo inter natos mulierum nō surrexit maior,
gigantomachiæ auspex apparuit:
Regnum cœlorum vim patitur.
Hinc amicas cœlo, cum cœlo inimicitias
Heroum Gigas Eustachius exorsus:
nil non summum statuit in acie.
Corporis magnitudinem, ne quære:
quorū mēbra leges excedunt; animū capiunt nōnun-
Robur, non expecta: [quam exlegem.
multis robur rubori fuit.
Virum, à virtute, non à viribus deduco.
Rebus humanis superior atquè adeo gigas animus,
stetit in fronte.
Aduersâ sorte, implacidos obtrudentē casus alios ex
idem

aliis,) idem semper [illegible]s,
altitudine mentis ipso altior Olympo,
omne inane excesserat fortunæ;
solido virtutis fixus in cœlo.
Extrà orbis caput Romam,
non modò non tutus,
sed ne totus quidem,
plùs, quàm dimidium amisit animæ,
consortem ac liberos,
Alter lupo, alter filiorum leoni,
Mater maritimo in naulum cessit lenoni.
O quàm verè nulla salo salus!
Nil quidem Placido Syrenes vocale maris nocuit ma-
sed Cythereâ illâ, fædas (lum,
in ipsis aquis accendente tædas:
extremum amisit bonum.
A rostris, ad rastra vocatus:
in densa tot aduersorum nocte,
nulla melioris fortunæ illucescente die:
Ægyptium in fronte tulit cœlum,
semper innube, semper serenum.
Capax magnæ fortunæ post infortunia mens,
sinistram occupauit alam.
Triumphalis agricola,

pecudes

pe[illegible] qui ſolitus in aruis:
homines [illegible]us Dux præcedere in armis,
retrogrado fortunæ imperio,
primò, gladium in vomerem,
deinde, vomerem recudit in gladium.
Opibus, conſorte, liberis,
vt amiſſis miſerrimus, ita receptis feliciſſimus;
nec aduerſis deiectus,
nec proſperis vltrà moderationem ſtetit erectus.
Summum Gigantomachiæ robur dicito,
Entheam infidos inter in fide conſtantiam.
Homine communi maiorem,
nullo gigante minorem, ſuppliciorum tolerantiam.
Deuictis hoſtibus,
Dijs litare iuſſus hoſtias,
qui armatos ſteterat ante homines:
inermes, procumbere iuſſus ante Deos,
Imperatoris maluit amittere nomen, quàm Numen.
Nequaquam flectendus,
adductus æneum ante bouem eſt plectendus:
tum ignita illa bellua, Phalaridem immugijt;
& domeſticum animal, igne efferatum,
innoxium exarſit in ſanguinem.
Sed ô prodigia!

nunquam

nunquam clarior [illegible]gnis,
quàm cùm nouis resplenduit signis:
intemperans cætera elementum,
ita Patris, liberorum, ac matris corpore abstinuit:
vt nec quidem Martyrum crinis, factus sit cinis.
Examini illo boue, animas à corporibus separante
neutra lædente.
Sic astra expugnat, qui sic pro astris pugnat,
Grandibus cœlum inuadendum est meritis;
vt violentius rapias illud.

S. FLO-

S. FLORIANVS
M. PAT. POL. & M. D. LITVANIÆ.



Tolleris è cunctis Martyr Sanctissime terris,
Dum medijs Anasi præcipitaris aquis.
Vnda solo voluit te conseruare Polono:
Hinc renuit liquidis mergere Diue vadis.

ELOGIVM.

NEmesim in fronte portat,
quem pulchrum turpiter redarguit nomen:
cùm aliud patet in homine:
quàm quod latet in nomine.
Procul hæc à Floriano labes,
virum sui nominis dixeris.
Qui tot florum, quot decorum ornamenta,
vbi ad se transtulit:
ab exinanito Floræ regno,
magis quàm non nemo,
ab Asia, Asiaticus, à Numantia, Numantinus,
dici meruit Florianus.
Nunquam minùs floridus, videri potuit:
nisi quando florem cum fructu,
ver ætatis,
cum autumno adultæ confudit virtutis.
Militari sic effloruit gloriâ:
vt odiosa monosyllaba, mors & Mars,
quæ in cæteros impotentem exercent dominationem:
illius seruirent honori.
Funereas quippe victor calcando cupressos,
palmas

pa[illegible]s inter & lauros,
floridum ad gloriæ metam tenuit iter.
Impius bellator, arma gerit, non animum:
& timet, dum timetur:
Florianus, inter effuſum hoſtilium telorum imbrem,
eò ſerenior:
quò non Vulcania arma,
ſed fatale nocentibus telum,
ſuam oppoſuit innocentiam.
Nec floridior inermis, quàm in armis,
cùm alienum pro communi libauit,
quàm cùm proprium pro ſua,
ſalute, litauit ſanguinem.
Humilis roſarum purpura eſt,
quæ à lacero Deæ venit pede.
Omne, quod purpuraſcit in floribus decus,
vicit Florianus:
cùm Laureaci, inter victrices laureas,
ſuo Martyr apparuit ſanguine purpuratus.
E terris ad aquas tranſlatus,
nouo refloruit prodigio:
quando appenſo ad collum ſaxo,
non ima, ſed ſumma petîjt aquarum.
Quaſi cœlo receptum animum,

fidus comes corpus [illegible]retur:
sursum grauitauit.
E Romano solo, Polono illatus cœlo,
bellatori populo,
commilito ad pugnam,
dux accessit ad victoriam:
nouum victoriæ edocens genus,
in quo,
qui vincit, non victor, sed lictor est:
qui vincitur,
suo triumphat, non alieno sanguine purpuratus.

S. SEBASTIANVS

M. DVX PRIMÆ COHORTIS DIOCLETIANI IMPERATORIS.



Illa ego vesanis deprompta sagitta pharetris,
Quæ mala sum dominæ iussa secuta manũ,
Hæreo multiplici defixa in vulnere, sic me
Captiuam crimen nam facit esse meum.

ELOGI-

ELOGIVM.

ENCOMIVM.

TErris ereptus,
cœlo receptus Martyr,
ſuper capita & ingenia humana cùm ſit;
Pygmæos ex alto deſpicit laudatores.
Sed aude calame,
nec quæ de parua pauper Dîs libat acerrâ
thura, minùs grandi quàm data lance valent.
Grande Sebaſtiani nomen,
pennigera, ad aſtra effer manus.
Nouæ in aula fortunæ protoplaſtes,
furore,
non fauore creuit Principis.
Deſcenſu ad miſerrima,
aſcendit ad feliciſſima.
Quanti ex Dædalis Icari fiunt,
quos humani fauoris effert in altum machina:
in lubrico humanæ gratiæ,
ne labilem figeret pedem:
vni totum amorem reddere ſtatuit Deo:
etſi Cæſarianum incurriſſet in odium.

Quâ

Quâ tela [illegible]am manu iecit in hostes:
beneficia sparsit in Ciues.
Deuota Christo pectora,
ne tormentorum exanimaret metus,
magna animauit mente.
Miraculum, addidit miraculo;
cùm fæminam tacentem,
fecit loquentem.
Vnde placuit Deo:
displicuit inde Cæsari.
Sagittis confixus,
gloriosiùs pro cœlo toto corpore,
quàm olim pro terra solâ manu arma gestauit.
Quid insolens victorum anime,
ignobili trunco adimis
vt tuæ famæ des vitam?
dum præcisas in trophæum erigis arbores:
multorum inuictus lator armorum Sebastianus,
nobilius sibi de se erexit trophæum.
Sed angustioribus apertis vulneribus,
quàm quibus tota mors ingredi posset:
vixit.
Imò audacior post luctam cum morte,
intrepidus, ipsi bonorum terrori occurrit Diocletiano.

Viro

Viro maio[illegible]
ad infantûm pænas, virgas damnatum,
nulla culpa nocentem,
ipsa pæna, prodidit innocentem.
In cloacam præcipitatus,
suauiùs cælestium odorum Arabiam,
post contrarium est odoratus.
Torturæ ignominiã, prouectus ad gloriam.
Nam nulla maior gloriæ messis est:
quàm ea,
quam pro Deo tormentorum vomere cultum,
profert corporis nostri solum.

S.S. BENE-

SS. BE[illegible]EDICTVS

IOANNES, MATHÆVS, ISAC, & CHRISTINVS, POLONI M. M. PATRONI POL: & M. D. L.



Implus ablato latro potiatur vt auro:
Heu Fratres ferrum ſtringit in innocuos.
Eſt aurum magnes ferri: nam pertrahit aurum
Ferrum, quando latet, tunc quoquê, quando patet.

ELOG M.

IN Græcis ſileant Theatris,
Pythias & Damon, Oreſtes & Pylades, Caſtor & Pol-
par philadelphiæ ſpecimen, (lux:
nec Argi ſpectauêre, nec Athenæ:
quale exhibuit toti Polo Polonia.
Eadem omnes vitæ ratio coniunxit,
idem ſepulchrum recepit.
Pares ſingulis Diuinorum amores,
paria & humanarum rerum odia.
Similia cæleſtium deſideria,
nec diſſimilia terreſtrium fuerunt faſtidia.
Diui Adalberti comites,
illo præeunte, lacteam innocentis vitæ candore,
cœli ingreſſi ſunt viam.
Exules alieno Pruſſiæ ſolo,
nec in ſuo voluerunt eſſe Ciues.
Siluis tecti, & cœlo,
in apertum occultam protulerunt ſanctimoniam,
Magnes quippe populorum virtus,
nunquam minùs ſola eſt: quàm cùm ſola.
Tota Vrbium vrbanitas deſertum occupauit;

& lucus [...] resplenduit luce:
postquam Regiam Boleslaus Chrabri,
intulit serenitatem.
suam in Diuos propensionem,
expenso largè testatus in auro:
tantos Poloniæ vbi reperit Thesauros:
iurè ad pedes Diuorum abiecit suos.
Sed heu scelus!
homines quibus auri amores,
ferreos induerunt mores,
dum auri famem remisso explere nequeunt auro,
explent sitim sanguine.
Nodũ in scirpo, in paupertate diuitias quærens impius [furor,
ne nihil egisse videretur;
perennitatem meritæ Diuorum vitæ,
ferreas admouit metas.
In tanto maleficio, hoc solo beneficus,
quòd fratres trucidatos,
Patres in cælesti capitolio fecerit purpuratos:
nec non Reges coronatos.
Nam in regno patientiæ
non aliud coronat, quàm quod cruciat.

S. GALLICANVS
DVX IN EXER: CONSTANTINI MAGNI.



Belliger inuictis quem Mars non strauit in armis:
In medio pacis corruit ille sinu.
Quod Mars non rapuit, rapiunt persæpè Penates:
Sæpè sago suerit peior & esse toga.

ELO-

ELOGIVM
TROPHÆVM.

VEstro sepultæ dormite in puluere moles;
quas fastus excitauit Artifex.
Edax, rode saxa & æra vetustas:
quæ labilem superborũ vt sisterent in orbe memoriã:
has gloriæ cupiditas posuit metas.
Assurge armis graue, *Romanæ* virtutis monumentũ:
ingere Polo,
quidquid trepidauerat tellus.
Excussa quondam hostili manu tela,
nunc Gallicani Ducis militent honori.
Turritum Persici capitis decus, detracto pileo,
in seruitutem Romanam redactos, dicat Persas.
His laurum ademit, oleas dedit:
vt Gallicano vicisse,
illis vixisse sat fuerit.
Sub pulchro fæderis nomine, Thracicum belli signũ,
rupto neruo pendeat eneruis. (arcus,
Alati mortis celeres sagittæ, in vnũ colligatæ fascem,
belli flammam Romano orbi intulisse se sentiant:
dum ad hoc ligatæ saxum,

Prome-

Promethei pænas

Loco ſint extremo,

vt Euangelico oraculo reperiantur in primo:

Ipſius Gallicani Ducis arma.

Hæc victorijs attrita,

Chriſtianæ Tyro militiæ,

in qua non cædendo audacia, ſed cadendo vincit tole-

non apliùs ferire, ſed feriari voluit. [rantia,

Terras Cæſari ferro,

cœlum ſibi lucratus auro:

pretioſum paupertatis theſaurum, omnibus emit ero-

Amorum tædæ, (gatis.

nouorum armorum tædium ne parerent:

Cæleſtē, & illibatā, vnius vocabuli cōpēdio, exhibuit

cùm coluit cælibatum. vitam;

Quàm auidus quondam pro Cæſare alieni ſanguinis,

tam prodigus pro Deo ſui.

Inſultauêre mortuo Leoni lepores:

toruo Marti terribilem mors non libâſſet,

niſi ſponte Martyr litâſſet animam.

Dignum Gallicano Duce fatū, in ipſa indignitate con-

Nam nemo digniùs moritur; (ſecutus.

quàm cùm indignus eſt mori,

moritur.

S. HED-

S. HEDVIGIS
DVCISSA SILESIÆ PATR: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Sedulus intento lustras quam lumine lector
Heduigem, flagras dicere, qualis erat?
Pingere, non pictor, nequeo: cùm scripsero scriptor,
Iam tibi tunc potero dicere, talis erat.

ELO-

ELOGIVM.

HVius mores si vidisset Pythagoreus:
vnius ortum,
plurium diceret metempsichosim.
Sic orbi Margaretas, Kunegundes, reddidit Heduis
vt qui hanc vidit orbi præsentem: (gis:
nullam illarum desideraret absentem.
In regno Polonorum,
Regno nata Polorum:
vix terras ingressa,
magnis votis, & meritis, cœlos inuasit.
Par ei genus & genius cùm esset:
omnia fastidiuit ima, properauit ad summa.
Mater futura pauperum,
vt posset dare & Patrem:
accepit consortem Henricum:
à cōstātia orthodoxæ fidei, & prolixiori barbæ crine,
alium Constantinum Pogonatum.
Nuptiales accendit tædas,
vt castimoniam illustraret:
quâ sex lustris,
fuit illustris.

Inter

Inter prosperas, & aduersas alternantis fortunæ vices,
PVLCHERIA:
in pacis studio,
tempestatum pacatrix IRENE, iris,
aut ipsa potiùs *Irini*
sepultam cum Stanislao Polonorum serenitatem,
in se exhibuit rediuiuam:
cùm tot aduersa, saluã serenitate, sustinuit pacata.
Amazonum dixeris vnam: bellis & litibus inimica,
victoriarum sinè ambitione auida,
non imparem sibi, seipsam aggressa est hostem.
Flagellorum lora, vestis cilicina, hæc illi arma.
Victrix eadem, quæ & victa,
de tãta, quãta ipsa erat Princeps, Principe triũphauit.
In casto cœlibis vitæ partu,
apud seram perennatura posteritatem:
ad sacrum virginitatis ignem,
meliore, Virginũ Reginæ, quã Nũma Ægeriæ cõsilio,
Vestalem Virginum custodiam Trebnicij constituit.
Ipsâ demum morte, ad meliorem est renata vitam.
Nam qui bene integrèquè viuunt:
dum mortalis vitæ diem claudunt extremum:
immortalis aperiunt primum:
cœlo semper victuri in beatitudine,
mundo nunquam morituri in sanctimoniæ fama.

S. MAVRITIVS

DVX THEBEÆ LEGIONIS, COMPLECTENTIS 6666. SVB DIOCLETIANO CÆSARE.



Heu scelus! ad Rhodani cadit insons victima ripas:
Et Thebæa perit cum Duce militia.
Thebanæ Rhodano lachrymas affundite Matres:
Aucta vel à fletu diluat vnda nefas.

ELOGI*o*

ELOGIVM.

PLAVSVS.

ENcomium triumphale, plausum,
da emeritæ virtuti,
spectator idem & Theatrum orbis terrarum.
Terræ creditus qvondam Gorgonis cruor,
monstra peperit:
Mauritij & cõmilitonũ sanguis, mõstrosæ crudelitatis
Rhodani effusus ripis, palmas proferat, & lauros. (do
Thebæi viuant cum Duce viri. (mitor,
Hi, ne suaueolentem odoriferorum animam
Dijs litarent:
morti deuouerunt corpora.
Crudelitatis mysta Diocletianus,
hanc faucibus fati Hecatomben sacrificauit:
decimo quoquè occumbere iusso,
de hastata Martij campi segete,
has cœlo dedit decimas.
Tunc si quando, decimi numeri columella, I
temporalis vitæ metam,
circulus, O

æternæ notauit principium.
O æquam in iniqua cæde mentem!
vulnera sic tulerunt sua:
acsi spectâssent tantùm aliena.
Ad terrorem lethi immobiles,
vt saxea steterunt Niobe:
nisi quòd hæc à cœlo,
illi, pro cœlo diriguerunt.
Metente adulta ad coronam capita gladio:
populator innoxiorum capitum ensis,
ceruices, non Herculea læsit corda:
quasi tanta aduersorum moles,
non in hominis, sed in scopuli pectus incidisset.
Aduersa quippe auersos feriunt, non aduersos:
sua vulnera infligente fortunâ,
non stantium pectori, sed fugientium tergo.
O felicem fortium virorum casum!
qui orthodoxam erexit fidem:
ô inuicta in ipsa sui victoria pectora.
Nam barbarorum est,
in vnius potentiæ Pantheo,
omnia bellicæ fortunæ adorare Numina:
Christianum,
in humili tolerantia triumphi spem reponere,
& succumbendo vincere.

S. ELISABETH
PRINCEPS HUNGARIÆ PATR: POL: ET M. D. LITUANIÆ.



O decus Hungariæ, cuius de munere pauper,
Non diues tantùm, magnus at esse potest.
Mater egenorum, regum de stirpe creata,
Quos das pauperibus cum proauis atauos?

ELOGO:

ELOGIVM.

INcassũ Regie sanguis Elisabethæ Hungariæ Regis
laudatorem ad te rapis calamum. [Filiæ,
Omnis sanguis concolor est:
alter, alio si sit clarior:
non virtuti, sed sanitati tribuendum est.
Vt nil Elisabeth maiorum fastis,
totum suis deberet factis:
infirmam, ad fortia,
paruam, ad magna erexit ætatem.
Granditatis suæ mensuram, ipsum posuit Altissimum:
ad arbitrium eius, ita amores & odia temperabat:
vt nihil in amore, nisi Deus,
nil in odio, nisi quod contra Deum est, esset.
Lucis filia,
etiam absquè lumine,
aperto in Patrem luminum intenta lumine;
in medijs aliorum somnis, sola insomnis,
nulla desidum nouerat æquinoctia.
In pallida rubeant pagina,
magna improborũ nomina, probos ante cognomines:
magni nominis fatum, plusquam impleuit Elisabeth:
cùm non vnius gratiæ, in vno Ioannis nomine,
sed

sed multarum gratiarum Parens toties extitit:
quoties à meliori reiectos fortuna,
pando beneficentiæ recepit sinu.
Auro, obsequio, manu,
inopiam, ægritudinem, vires afflictas, seruare solita:
omnium quos inhumanitas primò *Misantropos*
deinde fecit *Mesantropos*
quam illi amiserant, in se recepit humanitatem.
Sic, quod perîerat in inhumanis,
Elisabeth rebus restituit humanis.
Exleges naturæ lachrymas,
vt ad virtutis componeret leges:
ordinem ingressa est pœnitentium.
Mundo mortua, puluere conspersa caput,
è sacro pœnitentiæ cinere,
nouus reuixit Phœnix
Cùm demum, supra omne id quod mortale est,
animo emineret:
quantum suis addidit gaudijs:
tantum suorum decedens apposuit lachrymis.
Quàm chara esset vniuersis, monstrauit viuens:
quàm cara, probauit moriens.
Auara quippe mors est,
& nõnisi pretiosas, ocyùs quàm volumus rapit animas.

S. VITA.

S. VITALIS

MILES CÆSARIANVS MARTYR.



Sacra quid immani laceratis vulnere membra?
Quid furor innocuo corpore sæuus erit?
Gentilem cupitis faciant vt verbera Diuum!
Nec vi, Vitalis, credite talis erit.

ELOGI-

FLOGIVM.
EPINICION.

IO pæan! quiſquis tui prodigus ſpiritus,
vnam in plura æra, ſeu cornua diuidis animam:
vocalis ſono buccinæ, auras imple, & aures.
Immortalis,
quia mortales inter, Vitalis,
viuas Martyr.
Mortalitatem quam dicimus naturam;
arbitratus vt iniuriam:
vitam aſſumpſit nomine:
vt vel inde pateret,
quantus contra mortalitatis damna animus,
in corpore lateret.
Immortalitatis planè Sator,
Parens Vitalis,
Geruaſiũ & Protaſium liberos, nõ genuit morituros:
ſed æternùm præclaram per mortem victuros.
Io triumphe, geminate poſteri,
hic ille eſt,
qui vt nihil deberet humo,
præterquam quod eſſet homo,

terras tantùm tangebat corpore:
cœlos inuadebat mente.
Apodes quippe sunt semper cœlorum inquilini,
qui terrenis non tenentur vinculis.
Mortibus hostium,
perennaturæ famæ vitam nundinatus:
mortem non exhorruit suam:
qui vitam tam audax inuasit alienam.
In Bellonæ campo, adultâ meritorum messe adulto,
victore gladio, palmas messuit & Lauros.
Virorum fortissimus,
vt timeret hominem nullum; Deum timuit vnum.
Io pæan: cœlo propior,
cunctos efferat caput super homines,
qui calcatos per contemptum super ipsos stetit Deos.
Quasi magnitudini animi corpus æquare volēte Ty-
tensus in tortura, (ranno:
in tāto malo, suo maximo bono, impios conatus, elisit
Sæuitiam fatigauit tolerantiâ. (& elusit.
Io triumphe: viuit Martyr Vitalis,
viuus in fossam præceps datus:
lapidum cumulum habuit tumulum.
Comite vitâ, sepulchrum æquè ac cunas ingressus,

nec

nec cæpit nec deſiit eſſe mortalis, ſemper *Vitalis*.
A ſola immortalitate prodendus fuiſſe mortalis.
Sphyngem dedi, Oedipum ne quære:
rem beata pandet immortalitas,
in qua tum conſtabit fuiſſe nos mortales,
cùm inceperimus eſſe immortales.

S. IOSAPHAT
ARCHIEPISCOPVS POLOCENSIS
M. PAT: POL: & M. D. LITVANIÆ.



In rapidis Dunæ Martyr cum mergitur vndis:
Illustrant vitream lumina clara Thetim.
Vt non destituant sacrum funalia funus:
Accendit subitas, vnda vel ipsa faces.

ELOGI-

ELOGIVM.

PVeritiam aggreſſus à ſenio,
eâ morum grauitate annos,
eâ integritate ornauit mores:
vt horum maiora vix quiſquam deſideraret in ſene:
quàm quæ in IOSAPHAT ſuſpexit iuuene.
Nil ſapere terrenum,
primus illi ad ſapientiam gradus fuit.
Ante omnem literaturam,
Oratoriâ,
& orandi, cum expediret,
& exorandi quod liberet,
excelluit facultate.
Defluente è crucifixi imagine perfuſus lumine,
fatuos ignes ſcientiæ faſtidiuit humanæ:
poſtquam claritas ſapientiæ illuxit Diuinæ.
Vt magni nominis menſuram æquaret factis:
magnum nomini induit Baſilium:
factus nomine & nouo vitæ genere
BASILIANVS.
Illic primus illi aſcenſus fuit ad ſumma,
deſcenſus ad ima.

Nam

Nam
reluctantibus honor famulari didicit :
sequaces deserere.
Nomen quod non quæsiuit, inuenit :
clarus esse cæpit ,
cùm latere se censuit.
Archiepiscopus Polocensis renuntiatus,
tanti honoris claritudinem,
nouâ virtutum accendit luce.
Citra virtutis dissidium,
lenis idem , & asper :
vt solam cæteris promeret lenitatem :
omnem in se vertit asperitatem.
Nulli, nisi sibi infensus vni :
armauit innoxias in se vt noxium, manus.
Moribus aureus,
tolerantiâ ferreus ,
carior an clarior, vtroque fuerit :
in ambiguo reliquit.
Ad summæ virtutis sola ne deesset purpura ;
hanc non sine graui in vertice vulnere,
ad plantas defluentem ,
impia elaborauit manus.
Tunc si quando Schismatica patuit
fides

fides ex operibus:
fide primùm, deinde opere
capite diuiso:
& noua Pallade è sacro cerebro sua sumēte incunabu-(la
IOSAPHAT
ostendit esse *Pathimata, Mathimata*
quando suum maluit diuidi,
quàm Ecclesiæ diuidere caput.
In profluentem detruso Dunam corpore,
magnitudinem sceleris terras excessisse diceres:
sole obscurato,
cœlum ipsum excæcatum crederes.
Hesperijs roseum Phæbus caput efferat vndis:
nouum in Polono Horisonte sidus IOSAPHAT,
antequam clarior illucesceret:
& ipse,
demersus roseum Dunæ caput abluit vndis.
Quin & nunc astrorum imitatur Principem.
Eadem enim Diuorum; quæ & siderum natura est:
Lucem non sine comite beneficentia,
è summis demittere ad ima.

S. GOR-

S. GORDIVS
CENTVRIO LICINII CÆSARIS.



Gordius indomiti solus cum tela Tyranni
Deuicit, maior Centurione fuit.
Maximus est omni vincens sine milite miles,
Grandia sunt vnâ parta trophæa manu.

ELOGI.

ELOGIVM.

STATVA.

Tuam imploro ô Phidia fidem,
& dexteram,
ſolito in opere minimè ſiniſtram:
cuius acuto cœlo,
dura terræ in ſimulachris vitam debent oſſa.
Me circa laudes Gordij
mouente omnem,
tu lapidem moue vnum.
Effinge viuum in exanimi ſaxo virum:
toruum Martem, & igneas minas
frigidus non ſpiret lapis:
ſed mitis in ipſa morte viuat pietas.
Eremicolæ, vagum ſine lege ſi facis crinem
omnem artis implêſti legem.
Gladium, haſtam,
mortis claues,
ſub ipſa claude baſi.
Aut quæ humano rubuerunt ſanguine
dum in Pario pallent lapide arma:
piaculari pallore expient ruborem.

Leue onus, ſublimium capitum honos, laurus,
ſacrum honoret & ornet verticem.
Infans demum ſaxum hoc,
virtutum Gordij claritudine colluſtratum:
vt Memnonias imitetur voces:
hanc adijce epigraphen.
GORDIO CENTVRIONI,
tot malis tacto, non fracto,
nunc lapideo,
olim adamantino.
vel ſi lapideum & ante dicere lubet:
dic ſuæ imaginis fuiſſe imaginem:
qui aduerſa ſenſit vt homo, tulit vt ſaxum:
qui gentiles fugiens homines,
abîjt ad feras:
armis Cæſarianæ militiæ abiectis,
inermis militaturus in Chriſtiana.
Dum fabuloſum bellorum Deum Martem, in ludis,
ſerius arguit actor;
igne, ferro, tortus,
iuratum ferri hoſtem flammam, icto velut fœdere,
in ſuum conſpirâſſe ſenſit exitium.
Tanta in illicita fuit licentia,
Licinio imperante.
Sera poſuit poſteritas.

S. VENCB

S. VENCESLAVS
REX BOEMIÆ M. PAT: POL: ET M. D. LITVANIÆ.



Insons fraternum Martyr fers diue furorem:
Innocuo patriam sanguine pingis humum.
Nil commune malo cum fratre videris habere:
Et sumpto ex vna Matre, cruore cares.

ELOGI-

ELOGIVM.

QVemquè suæ fabrum fortunæ,
dixerint Latini:
probârunt experimento Bòémi:
felices tanto Martyre,
quem ipsi fecerunt.
Sed alieno scelere miser quisquè,
improbus nemo esse potest.
Principis hæc culpa,
populi fortuna fuit.
Hem scelus!
supra fabulosa Thyestis & Atrei odia,
fugitiui exilio notandum solis.
Sacrosancta hospitalis vteri iura violauit Boleslaus:
cùm quam communis vtriquè dederat Mater,
Fratri, ademit vitam frater,
VENCESLAO.
Hic vt cœlo se natum ad sui beatitatem,
terris commodatum, ad earum felicitatem
probaret:
talis vitæ tempore fuit primo,
quales paucos fuisse reperias extremo.

In au-

In aurora ætatis
Christianæ meridiem explicuit pietatis.
Diuinorum contemplatione (quod mirêre)
homo inter Angelos,
morum integritate,
Angelus inter homines.
Priusquam sceptris suæ admoueretur gentis:
Rex in regno fuit mentis:
cùm domitorem cupiditatum animum
Regio circumtulit corpore.
Parùm felicem sortem eorum ratus,
quibus fortuna sceptrum elaborauit in cunis,
regnum in vtero:
regno potiri maluit, suffragio virtutis:
quàm occupare iure hæreditatis.
At Boleslaus
regni tam auidus,
quàm indignus,
vt solus regnaret:
regnare voluit non sinè fratre tantùm,
sed & sinè DEO.
A DEO, eodem passu, quo à virtute recessit:
fratri in hospitali mensa,
feralem missum exhibuit crudelitatis.

In ami:

In amico salue,
infaustum obtulit vale,
O raram fratrum concordiam
quoties regnandum est!
adamantino hærent iuncta vinculo,
regnum & odium.
Infelix Boemiæ autumnus,
vindemiam dedit sanguinis:
quo ebrius furor,
ad suum insaniijt interitum.
Regno impiè potitus,
non diu vsus est Boleslaus.
Nam parùm valent scelera ad retinendam fortunam,
& quam aliquando construunt,
eandem cum strepitu præcipitant
felicitatem.

S. GVT-

S. GVTLACVS

MILES ANGLVS.



Gutlace prostrati celeberrime victor Auerni,
Te Styx victorem non negat esse suum.
Quòd toto vincas cùm nil tibi restet in orbe:
Infernas victor pergis ad vsq; domos.

ELO-

ELOGIVM.

MONOMACHIA.

VIrtute pugnant, non numero viri.
HECTOR, ACHILLES, HERCVLES,
grandia nomina,
magnæ laudis, non plurium ſed ſingulorum
epitome ſunt.
Centrum collectæ in vnum virtutis,
maius robur habet:
quàm ſparſæ per plures peripheriæ.
Iam ſuſpice ſpectator,
duos Athletico in agone pugiles.
Angelorum vnus ex origine,
Angelus ſemper malus,
Regum Anglorum alter de genere
Anglus,
nunquam non bonus, Gutlacus eſt.
Proditurum in orbem,
fecialis veluti belli dextra,
formans Crucem, & fundens lucem præceſſit.
In Bellonæ campo octennio verſatus:
exigua lucra, ingentium ſpolijs animarum emi,
immor-

immortalitatem nominis,
non nisi morte vendi hominis,
vt vidit:
militaribus sponte exutus armis:
cathafractum induit animum:
nihil amplius pro solo,
omnia acturus pro polo.
Insulam inferni hostis dominatione infestam insedit,
Sensit pugil, ab inferno Æolo
insolitos afflari sibi spiritus:
vt modò infra benè cœpta descenderet,
modò vltra moderationem ascenderet.
Nimirum ad vetus illud, mitte te deorsum,
veterator ille,
nouum apposuit, attolle te sursum.
Inuictum occulto,
aperto aggressus est Marte:
commilitonibus ad prælium vsus tenebris,
vt victoriam illustraret.
Noctu, vi, per inuia traxit saucium:
tot barbaris è Plutonia officina typis,
suum nequiuit imprimere velle:
nec ipsis sentibus, exprimere consensum.
Toties in multis vnus victus formis,

quod ſtruxit ad infamiam:
Gutlaco contulit ad gloriam.
I nunc Acherontice ſolidæ virtutis Zoile:
i infelix Auerni pugil:
victor Gutlacus,
tuis ſaturatus odijs,
ſuis enectus ieiunijs,
ſpiritu oppugnante carnem,
te ſpiritum,
tot malis oppugnantem carnem domuit:
multo è vulnere multa prodeunte ſalute.
Ita nimirum Chriſtiani Athletæ,
dum vincimur, vincimus:
& cœlum inſcendimus mortui:
dum ad inferna deſcendimus viuentes.

S. ANDREAS
ZOERARDVS POLONVS PAT: POL: ET M. D. LITVANIÆ.



Hæc inter modicos capiebat acumina somnos
Tristia dum tacitæ tempora noctis erant.
Compositum virtute docente stupemus acumen.
Non est in tota, parua quiete quies.

ELOGIVM.

ÆMula naturæ virtus est.
Nam vt apud illam,
quod est carius, solem videt rariùs:
ita hæc,
semper latet, nunquam patet.
Pretiosa metalla in visceribus terræ sepulta,
grandes montium tegunt tumuli:
rebus humanis superiores & penè gigantes animos,
Cynico propiora dolio,
cum corpore operiunt tecta.
Parco igitur tuo Nitria cænobio:
suum vbiquè secuta genium,
& hîc virtus latuit Andreæ.
Hic, vt vnum inueniret Deum,
omnem fugit hominem:
in odio sui veros Dei reperturus amores:
nullum se ipso amauit minùs,
nullum oderat magis.
Omnes *sarcophagos*
viles sarcophagos,
seu ignobile vilium animarum sepulchrum arbitratus:
comitem

comitem frugalis mensæ,
solo ieiunio refecit abstinentiam.
Sacros quadragesimæ dies,
ad totidem nucum exegit numerum.
Grandium tunc meritorum Ilias,
plus famæ à tot nucibus,
quàm ab vno olim accepit nucleo.
Amorem Diuinum,
suum nactus Eurystheum,
omnia, in quæ vitiosæ animi degenerant cupiditates,
monstra domuit.
Ad spineas quiescere sepes solitus;
tales pro præsidio lateri admouit hastatos:
ne mollior facilè perrumperet somnus.
E Polonia, ducta in cœlos Colonia,
breuibus huius exilij incommodis, & lachrymis,
perennatura mercatus gaudia & commoda.
Audi quisquis cœlum cogitas,
non est è terris mollis ad astra via:
æterna requies, non nisi fatigatos,
præcinctus ad ministrandas immortalis vitæ dapes,
non nisi ieiunos præstolatur CHRISTVS.

S. PACHO-

S. PACHOMIVS
MILES CONSTANTINI M. DEINDE ASCETA.



Quantus Cæsareis fulsit Pachomius armis?
Martia magnanimo cum Duce bella gerens.
Clarior at luxit, medijs Asceta tenebris:
Atq; magis mundo, cùm latuit, patuit.

ELOGI-

ELOGIVM.

TITVLI.

NOn exesa magis, quàm exosa titulorũ vetustas est, quæ obstetricante in lucem prodîjt vitio.

Probra, non decora sunt,
Balbi, Calui, nomina.
Cespitantem in plano dictionis campo linguam,
desertum à fugitiuo crine caput, notant.
Titulorum Pachomij amplitudo,
nullo vitiorum læditur confinio.
Veri cultor Numinis.
antequam sciret, verus DEVS quid sit nominis,
infans, in idolothytis idola execratus,
cùm abstinuit ab eo quod aris imposuerant homines:
ieiunium docuit ipsos Deos.
Pacificus bellator.
signum fæderis cœlum inter & terram Crucem,
& Constantinum secutus Ducem,
sic militauit in castris:
vt pacem coleret cum astris.
Terras Cæsari lucratus armis, cœlum sibi meritis.
Aliorum cultor, sui ipsius vltor.

Palamo.

Palamonis Ascetæ filius, deinde 7000 Ascetarũ Parẽs
vt omnibus præstaret se similem: nulli finxit dissimilẽ.
Reluctantem duris naturam,
totâ contrariorum expugnauit acie.
Somno, vigilias, cibo inediã, otio, laborẽ, blãdæ ma-
oppofuit violentiam. [nui,
Fortia agens, grandia patiens:
vicit semper, triumphauit nunquam.
In alienis oculis sic sublimis, tanquã si semper vicisset:
in suis sic humilis, tanquam si semper succubuisset.
Basiliscos, & serpentes innoxio calcauit pede.
Angelicus homo.
in quo nil ferum repererunt feræ,
quod tanquam suum repeterent:
nil viderunt humanum, quod metuerent.
Cœlitum vitam, vbi in terras transtulisset:
translatus ad cœlos,
ibi, vbi incæpit esse, semper victurus:
vbi desijt, nunquam moriturus.
Nam rectefactorum gloria, mater annorum est:
& pulchra mortalibus ad immortalitatem via.

S. NICO-

ſanctam petijt per maria terram.
Nemo infidi elementi regno mari,
tutè ſuam credidit vitam:
Nicolaus in ipſo ſæuientis Neptuni furore,
dum orat: ouat:
Quæ non incidunt in breuia,
longa qui nauibus inferunt ſcelera?
totam in profundo tulit hic ſecum malaciam
cum nullam intulit malitiam.
Nil ſanctius ſeipſo è ſancta efferens terra:
Myra vrbe receptus,
Myram reddidit myrrham.
Bonus odor Chriſti,
cùm in omni, tum in hoc loco.
Cœlo indice,
ſacro electorum ſenatu Iudice,
egregiam Auguſto magni honoris paludamento,
cum operuit,
aperuit virtutem.
Alta quippe culmina, latentia produnt lumina.
Fremente Diocletiano,
applaudente cœlo,
optima meritus,
tulit peſſima.

Carcerem, & inconſtantes malorum vices,
imperare incipiente, finijt Conſtantino.
Sed, vt odorifera
cum flagrant, fragrant:
morte conſumptus,
Myræ, mirum dedit odorem
cum ſanctitate ſuauitatis.
Hominum ereptus,
Angelorum redditus conſortio.
Par quippe erat illum in partem admitti Sanctorum,
cui cum ſanctitate viuenti,
vnus fuerat tota pars Deus.

S. PROCO.

S. PROCOPIVS

MILES DIOCLETIANI CÆSARIS.



Mittitur è rutilo cum crux crystallina cœlo;
Et vultus Martyr sistitur ante tuos:
In cruce victorem vitrea te Diue futurum
Cernis: quam faustum crux tibi sit speculum?

ELOGI-

ELOGIVM.

OMEN VICTORIÆ.

TOtum ad bella licet: trahas orientem,
ô Dari:
ſolem imperij non ſiſtes occidentem.
Pro aureo illo cœlorum,
cryſtallinum terrarum,
cum ſubſtituis ſolem:
fragilis, imo vitreæ fortunæ ſymbolum,
non ituro ad vmbras militi exhibes ſolatium.
Quanto melior fortuna Procopij,
cui inter horridos fulgurãtis & tonãtis cœli fragores,
criſtallina crux illuxit
Adoro Dominatorem humanæ felicitatis horoſcopũ
hac in Hebræo pupuraſcente cœlo, Crucem:
omne occidit,
quod ortum fuerat à malo, malum.
A mortis, & Tartari victore, ad triumphos initiata:
& Procopio victoriæ omen fuit.
Hâc auſpice,
ne tanti nominis cadauer Alexandria fieret:
magnis Vrbem animauit auſis.

Suo

Suo tinctos hostes sanguine,
ad ruborem audaciæ,
fusis humi latè corporibus
ad adorationem suæ adegit virtutis.
Bifrontis Iani clausit tēplū, fortunæ aperuit delubrū.
Magnorum incrementum nominum,
à falsorum ruina Numinum sumpturus:
superstitioso cultu cœlis illatos, terræ allisit DEOS.
Aurea, ærea, saxea simulacra,
noui alchimiâ prodigij, cerea reddidit:
cum signo crucis fecit liquida.
Imò carnifices è fornace fugauit flammas:
quasi ipse ignis nè crudelitati sacrificaret,
potius pauidus in fuga,
quam audax in tortura mallet videri.
Herculis Christiani Constantini planè sidere natus,
in hoc (crucis) signo vicit.
Imperij caput Diocletianum, in manibus ministrorū,
omnem in iusto præside triumphauit iniustitiam.
Capite imminutus,
se solo minor, omnibus maior: probauit,
ad sublimia nullo facili9 perueniri Duce, quàm Cruce.

S. GEORGIVS

M. PAT: M. D. LITVANIÆ



Calce, graui premitur Martyr dum pondere ſaxi;
Immenſi ſtruitur grande furoris opus.
Calx, magnum ſacroquè iacens in pectore ſaxum,
Materies, opifex, ipſe Tyrannus adeſt.

ELOGI.

ELOGIVM.

QVasi Patre Marte,
Matre Bellona satus,
in lucem prodijt vt arenam.
Corporis angustias, animi mole emensus,
magna paruus spirauit bella.
Magnis inditi sanguinis, heres, & Heros,
Maiorum gloriam aucturus in sua:
totam in sola virtute locauit panopliam.
DEO Duce & commilitone, ad bella profectus,
quot seruauit Ciues, tot meruit ciuicas.
In mortis & Martis castris,
vitâ comite, pedissequâ pugnauit victoriâ.
Laureatum caput omne belli fulmen reueritum est.
Sed hem cui anceps belli in sago non nocuit alea,
hunc sæpè pacificâ in Toga perdidit olea:
quo cum norat vincere,
hoc sine viuere nescius DEO Georgius:
illi suam tribuit palmam, & laurum,
non simulacris gentium,
quæ sunt argentum & aurum.
Vt contemptor Diuûm Mezentius habitus & tortus,

probauit,
non agere tantũ, ſed & pati grandia Chriſtianũ eſſe:
æquè prædicandus ab eo quod egit,
quàm quod paſſus eſt:
actionem & paſſionẽ, in eodẽ de ſe reliquit prædica-
Grandi obrutus ſaxo, (mento.
hoc vno à morte diſtare lapide dici poſſet:
verũ primus hic crudelitati ſtruendæ poſitus eſt lapis.
Mutauit furor naturam,
& de præcipiti factus ingenioſus:
quæ non vt torqueret excogitauit acumina.
Aurea virtus, ferro probari cæpit acuto:
cultellis, lanceolis, toto lacer corpore Martyr,
pro Cæſare in acie,
pro Deo in tot triumphauit aciebus.
Vt ocyus ad vitæ veniret calcem,
viuâ obrutus calce:
innoxijs innoxio corpore ignibus,
hominis exuit, asbeſti induit naturam.
Ferratos indutus calceos,
Olympicus veriùs, quàm Olympiacus Athleta,
vnam in ſtadio metam reſpiciens Olympum,
impiger pro ſua tetendit φιλῶ σεϕχνυ
Magnitudinem mirare mentis Lector,
non

non impia tantum Cæſaris iuſſa deſpexit,
ſed & ipſum (vt contempſiſſe ſcires)
calcauit tormentum.
Tot ora, quot ſaucij corporis vulnera,
cum mortem accire non poſſent:
mortale virus in virulento oblatum eſt veneno.
At viſcerum carceri incluſa mors,
virium hæſit impotens:
donec per ruptam reſecto capite ceruicem,
in libertatem vindicata,
dum Georgius obijt, abijt.
Adulta Diocletiani in ſanguinea meſſe crudelitas,
hanc Tarquinianæ ſuperbiæ ſcripſit parallelam.
Nam hic in papauerum, ille in hominum capitibus,
ipſos meſſuit homines:
metuendo vindicis DEI metendus telo:
& eò grauiùs, quò tardiùs plectendus.
Nam ſi veterem nouo ſceleri applicamus Paræmiam:
in ſcelerum pœnas vltrix venit ira Tonantis,
hoc grauiore manu, quo leuiore pede.

SS. 40. MARTYRES

MILITES LICINII IMPERATORIS.



Brumales torquent Sanctorum corpora venti:
Sacra graui crucias, membra Tyranne gelu.
Desiuit in frigus vesani flamma furoris,
Ipsius in medio frigoris ira calet.

ELOGI-

ELOGIVM.

CORONA VICTORIÆ.

QVid speciosæ seruitutis insigne,
Regum coronam, porrigis ô munde?
Mentis arcem caput vis vt hâc obsidione cingam.
Ferrea ne, an aurea vincula sint, parum interest:
vtraquè ligant;
turbinatus coronæ vertex [habet;
humanæ felicitatis non plus vltra, ipsum coni acumẽ
præcingens frontem diadema,
vt lunæ halo, sæpe augur est procellarum.
Quadraginta *Martyrum* capita,
in ipso triumphalis gloriæ sereno,
gemmeæ grandinis pretiosa ambiat tempestas.
Cœli lachrymæ, terrarum gaudia vniones,
Ariadnæam imitentur coronam.
Stellatum capitibus sine onere adornent honorem.
Iacet prostratus, coronatũ imperij monstrũ, Licinius.
Vt pluribus tormentis, vnam in singulis *Martyribus*
diuideret animam:
Spiritum quem ducimus, aggestis ori saxis, eripere,
tenebricoso carcere, luce priuare ausus est;

sed

ſed orbe maiores animos, nullæ capiunt anguſtiæ,
dedignantem pupillam, omne noſtræ Cymmeriæ
mortale ſpectaculum,
tangunt, non angunt tenebræ.
Tantalea patiendi ſitis,
ſaxa vt poma captauit fugacia.
Ipſum furoris æſtum, alterauit frigore Tyrannus:
gelidæ auræ, igneo ſpiritu animata expoſuit corpora.
Pulchrā ſpectarunt aſtra antiperiſtaſim,
dum extra tormenta calidum,
in tormento hoc frigidum hoſtem, carnem
melior animorum æſtus triumphauit.
Cruribus confractis, impediri cæpit greſſus:
ſed omnes ad Olympicā palmā, peruenêre ſine pedib9
proiectis in rogū corporibus, extinguere totos in flamma
contendit Cæſar:
verum gemino, ſuo & elementi ſplendore,
clarior Martyrum refulſit tolerantia.
Fecit Licinius quod voluit, factum eſt quod noluit:
dum totus ſatagit eſſe maleficus, exſtitit beneficus.
Nam Martyrium beneficium eſt, malo animo factum.

S. DORO-

S. DOROTHEA

PAT: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Virgineæ flores isti sunt munera dextræ,
Munera Pæstanis nobiliora rosis.
Accipe quod dederas, perdis nil Virgo, redire
Nam decet ad dominas dona tributa manus.

ELOG.

ELOGIVM.

SI muta interdum nomina, erudiente DEO,
diserta ferunt auguria de rebus:
Dorothea, mixto literarum ordine Theodora,
vnum vtroquè nomine, Dei donum intonuit.
quasi è cœlis data, non in terris nata,
cœli amoribus, cœli vixit & moribus.
Nam sui cuiqve amores, formant mores.
Cæsaream nacta Patriam,
omen natalis soli vt impleret in nomine:
nil nisi basilicum sapuit.
Omnes mortalium thalamos,
integrarum mentium tumulos perosa:
sponsum elegit immortalem.
Peroptent cæteræ quibus nubant,
bonos & magnos:
omnium vota supergressa Dorothea,
ter optimo, ter nupsit maximo.
Sed vt magnæ fortunæ comes est inuidia:
Apricius, non aper tantùm affinitate nominis,
sed & feritate vix aliquid hominis:
sacrosancta rumpere fædera aggressus,

plures

plures pro vno,
quorum cultui militaret in pace, obtrusit DEOS.
Cum sanctissimā Danaen, etsi auro tētasset, nō vicis-
agressus est ferro. [set:
Lacero Virginis corpore,
tota mentis stetit integritas:
amor in sponsum exæstuans,
copiosius respirauit per vulnera.
Capite demum abscisso,
omnes gentilium præcidit spes.
Ne plurium DEORVM cultum, confusum vniuersale,
admitteret:
hanc Virgo sapiens admisit præcisionem.
In viam gentium vt non abiret,
viæ duces oculos, profluā è collo texit purpurâ.
Recto res acturi ordine, ordimur à capite:
crudelitatis opus, Apricius finiuijt in capite.
Ita non solà fortuna in suis scenicis ludis,
sed & furor in serijs palam actibus
solenne illud nonnunquam exhibet
Isteron proteron.

S. ARNVLPHVS
MILES PRINCIPIS FLANDRIÆ.



Ascetam, sæuiquè pium Mauortis alumnum,
Cernis: vt vna duos monstrat imago viros?
Fert in personis geminos natura duabus:
Verùm virtutis solus hic est, gemini.

ELOGI

ELOGIVM

COLOSSVS.

GIgantem Heroum minor quam Colossus
dedecet statua.
animi mole, corporis robore,
vulgarem emenso staturam Arnulpho,
non Asia fluctuantem in Rhodo
suprà maris tergum,
sed Europa inconcussum orbem terrarum,
stabilem erigat colossum.
Parius lapis, innocentiæ concolorem,
quia candidam præstet materiam
Militaribus deditus officijs,
præter eam quæ messori noxiorum capitum adhæsit
nullam animo accepit labem. (gladio,
Augustam, & immobilem componant basim,
nunquam mutabili fundata in DEO,
egregiæ mentis decora:
diues virtutum sublimitas,
spontè inops humilitas.
Artifex operis, ipsa in aduersis constantia,
saxeum effingat pectus:

in quod plūbea omnia aduersæ fortunæ fuerunt tela.
Nimirum vt spumantes vndarum arietes,
cum ad scopulos allidit,
ludit, non lædit Oceanus:
sic aduersorum moles, quem inuenit infractum:
relinquit intactum.
Colossea robur Athlanticum notet manus:
hâc extremum in mari periclitantium bonum,
nauis malum,
vt leuem vibrauit hastam.
In vacuo mundanarum curarum,
motum difficilem esse sursum,
descensum facilem deorsum,
vbi perspexit:
profana negotia, sacrosancto asceterij permutauit
Quasi quidquid pecasset miles sub galea, (otio.
vt expiaret monachus sub cucullo:
illibatum albo religiosum dedit nomen.
Rerum terrenarum contemptu, suprà omnia,
sui ipsius abiectione,
se posuit infrà omnia.
Inuictâ dextrâ, feliciter contra hostem,
tantum quantus ipse erat Arnulphus, vsus,
nunquam gloriosius de alio,
quam

quam de se triumphauit ipso.
Quas ademit corpori, animo addidit vires.
Suprà Iulianum trilogium,
hostem, ad quem non venit:
sed vidit, vicit.
Mensura colosso hæc sit vna:
vt magnitudo illâ maior sit nulla.
Nam vt dignum corpore animum,
res gestæ docent:
ita dignum ingenti animo corpus.
ipsa statuæ indicat moles.

S. STA.

S. STANISLAVS KOSTKA

SOC: IESV PAT: POL: M. D. LITVANIÆ.



Caſta verecundæ dominatur purpura fronti,
Pulchra tenet puro pectore ſceptra pudor.
Hem libertatem perdis STANISLAE *Polonam!*
Sed benè : virtutis ſeruus es Angelicæ.

ELOGI-

ELOGIVM.

CLarus maioribus, clarior moribus,
ad immortalitem planè natus,
mortale egit nihil:
omnis mortalis noxæ, à teneris expers.
Innocentiâ inter innocentes nulli ſecundus,
morum integritate facilè primus.
Viennæ Auſtriæ literis admotus,
in dubio reliquit:
didiceritnè facilius diſcenda,
an docuerit facienda?
Diſcpulus in literis, Magiſter in moribus.
Tunc potens, cùm infirmus,
æger, triplici aſſultu potentem Cerberum,
maiore quàm Hercules gloria ſuperauit.
Prodigioſus paruuli IESV baiulus,
onus eius expertus leue,
iugum in Societate appetijt ſuaue.
Romam Viennâ, pedeſtri contendit itinere:
verus mundi contemptor,
tot eius plagas pedibus calcauit.
Næ tu Staniſlae ſupra magni illius fortunam,

par

par animo corpus nactum te sentis:
vna orientem tenuisti manu,
mox tenturus & occidentem.
Nam Paruulus ille, *Oriens est*:
Roma, occidentis quam petis, imperium.
Ad societatem admissus cæterorum,
ad obsequium se demisit omnium:
vilibus lubens deditus officijs.
Suos comitatus amores,
genus ipsum in cœlum transtulit:
cùm ad communem omnium in cœlis *Patrem*,
cœlorum *Reginam* adsciuit Matrem.
Ab innocenti cordium incendiario
amore Diuino succensus:
ante ipsos cineres, abijsset in cineres:
ni vnda flammam temperasset.
Sed operam, & aquam perditis ô socij,
ignis hic,
magis quam Persarum, aut Romanorum,
ignis æternus est.
Nam *charitas manet*.
Leui accensus febricula,
vt extingueretur:
ipsâ Matris Virginis assumptæ die,

ad ma-

ad Materna Filius tranſijt gaudia.
Quaſi viuentem ſpectaſſet,
non aliter Angelos victuros credidiſſet:
ſi viuerent morituri:
qui morienti adfuiſſet:
non aliter morituros diceret:
ſi morerentur æternum victuri.
Si amorem conſideres ſociorum:
deberet ſemper naſci:
ſi vota pro vita:
nunquam mori.
Sed eripit ſe mortalium è medio matura virtus
nec ſumum expectant,
quæ in primo adoleuerunt.

S. THEODORVS
MILES.



Quantus ab admota flammis est Scæuola dextrã,
Scæuola Romulei gloria prima soli?
Totus fatalem raptus Theodorus ad ignem,
Plus habet hoc famæ lucis ab igne suæ,

ELOGI-

ELOGIVM.

SCVLPTVRA

DE ſcriptore fio ſculptor,
calamo in ferreum cælum degenerante.
Grandis animi ideam modicum do lignum.
Factis cedro dignis illuſtrem virum,
arborum phænix cedrus, poſt ſua immortalis fata,
monſtret immortalem.
Viden non aliam Theodori,
quam & cœli ridentis faciem!
Patriam orientem nactus,
ibi habuit ſua,
vbi & naſcentis mundo lucis ſunt incunabula.
Nulla aduerſorũ nube vultûs ſerenitatem exaſperãte:
qualem animum geſſit in pectore:
talem exhibuit in fronte.
At, quòd accẽſã ſine damno facem, lignea fert manus:
flammam profano iniectam fano indicat.
In tenuem redactos fauillam,
euaneſcentes in fumum. Deos,
ventis, & àéri dedit diripiendos:
in tanto Numinum occaſu,

ſolo vindice lucente Vulcano.
Pectus arte ſolidum eſt:
quod à ferreis Tyranni ictum telis,
luculentius fulgurauit.
Integro perſecutionis obrutus Oceano Martyr,
corpore infrà, totâ eminuit mente ſuprà.
Nam cœli inquilinos animos,
etſi mundi moles in Syſiphium abeat ſaxum:
à ſummis, deprimit ad ima nunquam.
Fuſtibus, vncis, lapidibus, impetitus:
mortem citam inuitis, ſeram optantibus,
ſic ſperauit totus: vt alij timent trepidi.
Damnatus ad pyrrham,
vnius Dei cultum, illuſtrauit in flamma:
plurium venerationem, obſcurauit in fumo.
Qui ardebat cœlum ſemper, arſit pro cœlo ſemel.
Lucis filius,
cùm viueret, benè agens, cœli,
cùm moretur, bene patiens, ignis,
odio non habuit lucem.
Nō fabuloſæ Deæ Epheſiū, ſed veri Dei templum,
quot tortores, tot incendiarios incidit in Heroſtratos.
Nobili rogo odores defuiſſe nè ambigas:
bonus odor Chriſti, ipſe Theodorus:
in odorem Diuinæ arſit ſuauitatis.

S. BARBARA

PAT: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Huc oculos ſæui conuertite Martis alumni,
Fortibus oſtendo fortia namq; viris.
Quid turri, impauida quid Martyre, Virgine quidue
Totus terrarum fortius orbis habet.

ELOGI.

E L O G I V M.

FAllimur ſi quęque qui naſcitur in lucē prodire cre-
Quid illi ? (dimus.
qui quia non noti, quaſi non nati,
in ipſo vitæ limine, deſtituuntur lumine:
dum oriuntur occidunt.
Talibus nemo clarior natalibus Barbarâ.
Heliopoli, in Solis vrbe nata.
Ortũ, & generis claritudinem, Phæbea accendit luce.
Nubeculam nomen offuderat:
Martyrio nimirum ab ipſis deſtinata incunabulis,
antequam pati quid poſſet ab homine:
paſſa eſt à nomine.
Sed deterſit calumniam vocis barbaræ,
humaniſſimis moribus.
Quaſi parem alteram illi dare natura deſperâſſet:
in Parentum vnigenitam,
vt Phidias in ſuum ſcutum, contulit quod potuit:
& venuſtum pulchræ habitantis virtutis hoſpitium,
corpus dedit.
Anceps bonum,
volatilium auceps animorum ſpecies,

non

non vnum amentem, fecisset amantem:
si Barbara alicui infra cœlos nubere voluisset.
Primis Virginum sponso iuncta nuptijs:
maritalem thorum,
vt infamem omnibus Theophilis horruit bigamiam.
Contempti concepti amores,
monstroso partu pepererunt odia.
Dux facti Dioscorus Pater,
Tantali, & Pelopis fabulam,
vertit in historiam.
Quandò, nè si tota simul prodiret,
tota semel absolueretur crudelitas:
cruciandam tradidit Filiam per partes.
Vngulis, malleis, laminis candentibus,
vulnerata,
læta tot ostia aperuit letho Barbara.
Tunc Dioscorus infidelis cætera,
vni naturæ credidit errori:
quasi errâsset,
quod virilem animum fæmineo corpori indulsisset,
Vitam quam dederat Pater,
ipse ademit carnifex.
Supra inania cuiuspiam vota,
vnam toti populo optantis ceruicem,

omnes

omnēs in vnigenita filiorum & filiarū ſecuit ceruices.
Piaculari igne tantum ſcelus,
vt aboleret cœlum:
fulmen miſit in Patrem.
Nemo quippè impunè vnquam nocens eſt:
etſi terra ſileat,
pro innocentibus, contra nocentes,
caſtra, fiunt aſtra.
Impietas adulta, nunquam manet inulta.

S. HIPPO-

S. HIPPOLITVS
MARTYR CENTVRIO DECII CÆSARIS.



Martia Romulei non iactent arma nepotes;
Ausonij sileant tela cruenta viri.
Hippolitus forti patiens de milite Martyr,
Arma gerens magnus, maior inermis erat.

ELOGIVM.

ARCVS TRIVMPHALIS.

PRæcipiti denoneo ruinæ arcus,
quibus pulchrum fæderis nomen,
vt bellum veræ virtuti indictum tegeret:
opifex imposuit arrogantia.
Hippolito pacifico Bellatori,
cui matre Concordia sato,
pacis omen Matris dedit nomen:
non audaci alienorum inuasori,
sed suorum inuicto propugnatori,
sera triumphalem arcum erige posteritas.
Porrectæ in altum machinæ summum verticem,
Phidiacum & elegans suprà fidem opus,
statua teneat fortitudinis.
Non solas viros parere Lacenas,
vt probaret:
in toga, æquè ac in sago,
infractum tot malis pro Cæsare, & DEO,
gessit animum.
Plurium Numinum contemptu,
vnius cultu,

Cæsariamum

Cæſarianum incurrit in odium:
Diuinum meritus amorem.
Poëticæ de Hippolito fidei,
addidit hiſtoricam:
in accuſatoribus, Phædram,
in perſecutionibus, Theſeum,
in Decio, coronato imperij monſtro,
Phocas freti expertus:
equis raptatus per inuia,
per ardua,
certam ad beatitatem tenuit viam.
Dextrū latus grādis orthodoxæ fidei occupet imago,
pro huius integritate toto lacer corpore,
ſic tolerare ſupplicia viſus eſt;
quaſi optâſſet,
ſic acceptare,
quaſi petijſſet.
Citra fabulam Theſei & Amazonis,
bis planè virilem geſſit animum.
Siniſtrum latus Diuina teneat Nemeſis:
hæc peſſimo artus Decij occupante ſpiritu,
inſontis oppreſſorem,
à ſummis detruſit ad ima.
Sæculi quippè fatum eſt,

bonos oprimi, malos ruere.
Frontem arcûs, hæc notet epigraphe:
HIPPOLITO, DECII, CENTVRIONI
Rebus pæclarè pro Cæsare gestis,
facilè primo:
pro DEO fortiter toleratis,
nulli secundo:
Forti, ac pio triumphatori,
seri erexêre nepotes.

S. MAR-

S. MARGARITA
PAT: POL: & M. D. LITVANIÆ.



Esse mali proles pariter solet improba Patris,
Non procul à proprio stipite poma cadunt.
Sancta malo prodit quam cernis Virgo Parente;
Quam procul à proprio stipite poma cadunt?

ELOGI-

ELOGIVM.

IGnobilis conchæ nobilis gemma,
Edessij Idolorum cultoris Christiana filia,
pretium suæ probitatis,
ab improbitate traxit Parentis.
Prodigium enim virtutis est,
bona, mali Patris, proles.
Repullulant quippe suos in ortus virulenta germina:
radicis vitium, continuant thyrsi.
Coluerint cæteri, monstrosa & infirma Numina,
bifrontem Ianum, claudum Vulcanum, cæcã Fortu-
quem plupluribus ademit, (nam:
vni honorem dedit Margarita Numini.
Soli placere dum quærit DEO:
hem (quod nollet) placuit & homini.
Olibrius orientis Præses,
orientis planè lucis vesper,
extincto orthodoxæ fidei lumine:
nuptiales accendere tædas parabat.
Sed Bellonam eam expertus,
quam sibi vouerat amasiam,
reiectis Fescenínæ tædis, furiarum arripuit faces.
Diræ te propudiosa Venus!

Circeâ

na:

a,

rtus

m:

es.

irceâ

Sarah J. Kerby